

*meo clementissimo, totique domui illustrissimæ saxonice salutem et perennem felicitatem humillime precor.*

Non casu aut fato aliquo, serenissime celsissimeque princeps elector, sed singulari dei opt. max. providentia ac nutu factum esse affirmo quod narrabo. Operæ pretium in animum induxeram meum, ante sexennium, studiorum uberiorum gratia, Romam proficisci : verum ὑπερευλογημένη ac ineffabilis SS. Trias, cuius est velle et perficere, aliter me rexit et direxit, ut nimirum, relicto Romam versus itinere, hanc vestræ serenissimæ celsitudinis regionem visitarem, ut eo felicius et maiori cum fructu studia sacra et humana excolerem. Ac sanctæ & individuæ SS. Triadi sit laus, omnia ex voto animique sententia cesserunt.

Primo salva et incontaminata fide in Grætiam redditurus. Secundo, tua potentissima celsitudo per biennium me largissime sustentavit in Academia Witteb. et, quod magis est, clementissime iniunxit reverendis et clarissimis professoribus ut me in disciplina theologica et humana informarent, ut eo maiori cum felicitate ecclesiæ dei aliquando inservirem. Sunt & alia plura beneficia, quæ hic malo præterire quam aperire ; grata itaque mente agnosco, o impervestigabilis Trinitas, has omnes in me collatas beneficentias. Ut ergo tuæ maiestatis beneficia de die in diem, magis magisque in me crescunt, sic et mea obsequia qualiacunque concrescere consenteum est. Verum respectu tuæ maiestatis obsequia mea nulla sunt aut, ut cum SS. scriptura loquar, sunt tanquam pannus menstruatus. Interim confitebor tibi in gentibus, domine, et nomini tuo cantabo. Tuæ autem celsitudinis, serenissime elector, quid dicam de incomparabilibus meritis ? Σοὶ δὲ θεὸς δοῦλος ὅσα φρεστ σῆσαι μενοινάζεις. Ac non minimam laudem T. C. nomen ab universo christiani orbis ambitu habiturum. Imo, publice et privatim testor, T. S. gens nostra græca veluti parentem meritissimum agnoscat. Utinam et ego, ex parte saltem, in gratiarum actione referenda præstare possim quod omnino debeo. Quia vero vires mihi desunt quominus id a me fieri queat, pro tenui-

